
1648.

3/

Andrzej Ed Koźmian



Ex Libris Com. Branicki
Sucha

[illegible]

[illegible]

RVDOLPHI SECVNDI,

Sacratissimi & Inuictissimi

ROMANORVM IMPERATORIS, GERMANIAE, HVNGARIAE, BOHEMIAE, DALMATIAE, CROAT. SCLAVON. &c. REGIS &c. ARCHIDVCIS AVSTRIAE, MARCHIONIS MORAVIAE, COMITIS TYROLIS. &c. &c.

Reuerendißimi & Illustriß: Generosi & Magnifici Dominorum, D. Stanislai Pavvlovvski, Episcopi Olmucensis, Principis, Regalis Capellæ Bohemiæ Comitis &c. Venceslai Senioris Bercæ, Baronis de Daub, & Leip, Regni Bohemiæ Aulæ Marschalci, eiusdēq; S. C. Maiesta: Consiliariorū &c.

Oratorum

AD

SERENISS. SIGISMVNDVM TERTIVM, Poloniæ & Sueciæ Regem, Magnum Ducem Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæq;, &c. Et Inclytos Regni Poloniæ, Magniq; Ducatus Lithua. &c. Ordines,

ORATIO,

In Comitijs Generalibus Cracouiæ habita, Die 25. Mensis Februarij, Anno Domini

1595.

ORATIO.

VEllem (Sereniſs. Rex, vosq́; inclyti Poloniæ Regni ordines) vellem, inquam, tantam dicendi vim & facultatem mihi nunc fore, quantam rerum, in quibus pro celeberrimo hoc conuentu, ab auguſtiſsimo Imperatore, ad vos, vnà cum collega meo Legatus venio, grauitas & amplitudo requirit. Atque vt ea inprimis, quæ ad officioſi S. Cæſ. M. erga Serenitatem V. Regiam animi, beneuolæq́; erga vos oẽs voluntatis ſignificationem pertinent, breuibus expediam. Pro eo. ac S. M. Cæſ. ſuſceptę á Serenitate V. in Sueciam profectionis neceſsitatem agnoſcens, abſentiam quidem S. Veſtræ, florentiſs. huic Poloniæ Regno non incommodam, Sueciæ verò illi inprimis vtilem, ſtabiliendæq́ue iſthic internæ quieti & tranquillitati maximè oportunam, euenire, ex animo

veteris cognationis, & recens contractæ affinitatis nexu coniunctiſsimo precata fuit; ita posteaquã Serenitatem Veſtrã pacatis iſthic, ac in ordinem redactis omnibus, ſuperatisq́; maris Balthici vltrò citroq́; emenſi difficultatibus & periculis, vnâ cum Sereniſsima thori & regnorum conſorte, vniuerſoq́ue comitatu, numinis auræq́; benificio ſingulari feliciter reducem factam eſſe intellexit, quaſi nũcupati pro incolumitate Serenit. V. voti compos, mirifica in animo oborta voluptate, nunc quoque Serenitatem V. in regnum hoc ſuum ſoſpitẽ rediјſſe plurimũ gaudet; ſimul & vobis ordines ampliſsimi beneuolè hoc ipſo nomine gratulatur: atque vt pacatus & tranquillus florentiſsimi iſtius Regni ſtatus, abſente sereniſs. Rege veſtro, ſingulari veſtra prudẽtia, raraq́; erga patriã charitate hactenus ſuſtẽtatus; eodem proſperè iam ad vos reuerſo, firmiſsimè ſtabiliatur, perpetuoq́; conſeruetur, vnicè exoptat.

Sed

Sed prætermissa id temporis prolixiori declaratione officiorum, quæ amicis & socijs mutua esse debere, nemo non intelligit, legationis nostræ summam aggrediemur. Quæ cum in totius Reipub. Christianæ præsidijs per summã animorum ac voluntatum inter Christianos Principes consensionem, atque mutuam auxiliorum cõmunionem, firmandis versetur; bonam in spem equidem venio, Serenit. Vestrã Regiam, vnà cum ordinibus amplißs. mihi, S. Cæsareę M. eo in genere desideria exponẽti, non minus æquis auribus, quàm beneuola affectione adfuturã esse. Tristiore totius orbis fato, quàm credula priscorum temporum simplicitas opinata fuisse videtur, perniciosum illud infelicis Arabiæ, monstroso editum fato malum, impurus, numinis diuini, rectæque fidei contemptor Mahometes, sub Heraclij Imperatoris tempora, ex infami collectorum latrunculorum turba, funestum exerens ca-

put, non ſolùm peſtiferis legibus, in ſummam Reipub. Chriſtianæ perniciem, ſequaces ſuos, ad maximam quorumlibet ſcelerum impune patrandorum confeſsionem obſtrinxit: verum & Chriſtianorum Principum, ſub ipſum tantæ peſtis initium, ſocordia gliſcente, adeò magnis nō multò poſt rerum ſucceſsibus, per vim & nefas, Othmanicum Imperium auctius effecit, vt nō Aſiam ſolùm & Africam; ſed magnam quoque totius mundi reginæ, Europæ nimirum cōmunis genitricis altricisq́ue noſtræ partem, ferali deteſtandæ contagionis labe proſtratam infecerit, vel potius (quod maximè dolendum eſt) iniquiſsimè ſubiugârit.

Verûm ſi hæc, quæ Aſiæ, Libiæq; Turcico ſubiectis imperio euenerunt, tanquam peregrina minimè ad nos pertinere fortaſsis putamus; Amurathe id temporis Othmanicæ Tyrannidis gubernacula tenente, heu quantū

florentis-

florentiſsimorum aliquot nominis Chriſtiani regnorum opulentiſsimarumq́; prouinciarum attritæ ſunt vires! quàm præſens exitium paruis hiſce Vngarorum reliquiis Turcicus furor, perfida potius quam callida rerum hucuſque geſtarum proſperitate mirificè tumeſcens, minatur.

Arbitratur Rudolphus, Imperator religioſiſs. certis vtrinque conditionibus initum, ad omnesq́; ſibi ſubiectas prouincias extenſum fædus, impium hunc Tyrannum, retento aliarum quarumuis nationum more, omnibus ijſdem prouincijs illibatè ſeruaturum eſſe: Verum impotentem animum Barbari, ab omni humanitatis ſenſu, pietatisq́ue ſtudio alieni, cœca Chriſtiani cultus exterminandi libido, ac naturale in noſtrum genus odium, ad rem etiam, profanis barbaricæ perfidiæ ſacris aduerſantem, Turcisq́; ipſis aliâs deteſtabilem,

ad

ad fædus inquam temerariè rumpendum animauit.

Primùm itaq; Styriæ finitima & penê contigua, imò ipsius Croatici regni loca, non solùm leuioribus incursionibus aut velitationibus infestare; sed numerosi exercitus copijs, hostili planè modo (quod initi fæderis rationibus contrarium est) inuadere, concutere, depopulari, vastare, ac demum in potestatem suam redigere est conatus. Hinc Bihatzium, situs amœnitate, soli fertilitate, & incolarum opulentia celeberrimū Croatiæ oppidum, vnà cum Arce et vniuerso loci illius territorio, crudeli ipsius jugo subiectum. Sic Sissekium, mascula Præpositi isthîc tunc degentis virtute memorabile, post varios dubij Martis euētus, sæuitiæ ipsius expositum fuit, sic alia passim loca in potestatem ipsius concessère. Sed nec ijs contentus Amurathes, quasi nepotis ex sorore, apud Sissekium vnà cum Hassan Bosnensi

Bascha,

Bascha, Sauæ fluminis rapidissimo absorpti vortice, interitũ vindicaturus, ducto ex Tracia milite, Vngariam ferro & igne depopulandam, summaq; potentia inuadendam, hostilẽ in animum induxit. Sic Vesprimium captum, sic Palotta deditionẽ fecit, sic Papa derelicta, sic Tatta, sic S. Martini castellũ, aliáq; Vngaricæ ditionis præsidia, sic demum Sinai Baschę versutissimi ducis calliditate Iaurinum direptę Vngariæ, vel potius vniuersę Christianæ Reipublicæ præcipuum propugnaculum profanis Turcarum sacris ac dolis miserrimè succubuit: quo in hostium potestatem redacto., parum abfuit quin etiam Comarinense præsidium, obsidione cinctum Turcicæ direptioni patuisset; nisi Christiani militis fides & vigilantia, vel potius diuinæ prouidentiæ summa bonitas, nefarium hostem, ad soluendam obsidionem compulisset.

Horreſco referens, tam inſignem Reipub. Christianę calamitatem, ſanguinarij illius Tyranni partim aucta potentia, partim fraudibus nobis recens illatam. Non immeritò quidem, cum tanta iactura, cuiùis Christianam fidem profitenti, non ſecus, quàm ſi propria ipſius foret, feriò expendenda, atque etiam pro virili vlciſcēda & vindicanda, iure optimo videatur.

Magna ſunt equidem ea, quæ fædifragus Amurathes in Croacia, atq; præcipuis Vngariæ nobis conterminis locis perfecit; magna inquam ſunt, vereq; talia, quæ iuſtum Christianis omnibus, non iniuriâ incutiant metum.

Verùm enimuerò maior, & longè potentior eſt dextera Dei noſtri, quæ arcum ſuum (vt cum regio pſalte loquar) parauit, & tetendit illum; ex alto nobis auxilium affore benigniſſimè promittens, dum modò ſcelerum contagia, quæ plurimorum mentes obſtrictas tenent,

nent, remedijs ab ipso humani generis redēptore concessis expiemus; priuatorumque commodorum rationibus postpositis, coniunctis viribus, contra hunc religionis fideiq; nostræ contemptorem, magna vi & virtute oppugnandum incumbamus.

Aderit haud dubiè conatib. nostris ille, cuius solius causa suscipientur, Christus Opt. Max. impiumq; hunc Tyrannum, quem sicut Cedros Lybani in nostrorum aliquantulum passus est extolli pœnam delictorum, ope ac virtute sua diuina deprimet, humilibusq; adęquabit Miricis: nec non potentiam ipsius omnem, acutissimo sui oris gladio concisam retundet, giganteosque conatus, ex iracundiæ suę iustissima pharetra depromptis iaculis prosternet. Cuius quidem benignitatis diuinæ certissima fretus fiducia, Imperator Rudolphus, tamq; graui lacessitus iniuria, tandem aliquando barbaricæ insolentiæ per opportunas Martis expe-

diendi rationes comprimendæ offerri occasionem ratus, id quòd fæderis initi sacramentũ antea prohibebat; modò non minore, quàm perfidus ipse hostis, animo aggrediendum, auitæque virtutis innatum vigorem contra fædifragum Tyrannum intrepidè constituit exerendum.

Quia verò tanti hostis potentia sapientiss. Imperatori non vsque adeò contemnenda visa fuit; vt subiectorum duntaxat Imperio suo regnorum & prouinciarum vires eidem opponendas tutò fore opinaretur; ita suum suorũq; robur æstimandum putauit, ne Imperiali potentiæ accersendorum ex finitimis Christianę Reipub. regnis ac prouincijs auxiliorum, euidentissimam postponeret necessitatem. Domesticorum proinde Principum animis in pręterito Ratisboneñ. cõuentu, summa iustissimi belli suscipiendi consensione deuinctis, nec cõtemnendis exercitui fouendo auxilijs comparatis;

ratis; externos quoque Christiani nominis Dinastas, ad ineundam communis periculi auertendi & propulsandi sanctissimam societatem, amicè requirendos & sollicitandos operæpræ tium est arbitratus.

Quemadmodum itáque ab illis, sic quoque à Seren. V. tanquã cognato & Affine charissimo, simul & à potentiss. regni istius Reipub. velut amicitiæ veteris, vicinitatisq́; jure cõiunctissima, contra insolentissimos nominis Christiani hostes, & diuinissimæ Crucis inimicos suppetias, in tantis periculis constituto Vngariæ regno, amicè petit ac requirit. Et quamuis de Serenitatis V. vti regis Christiani nominis studiosissimi rara erga Deum pietate, atq; zelo singulari, nemo addubitare justè queat; simul & de amplissimi regni istius ordinibus, optima quæque eo pietatis in genere, meritò sperare quisq; possit: Vt tamen, omni cunctatione & mora exclusa, Serenitas V. vnà cũ Amplis.

Regni sui Senatu, iustiſs. M. Cęſ. deſiderijs, ea qua & alij christiani Dinastę facilitate ac promptitudine ſubſcribat, rei petitæ honestas & æquitas, vtilitas quoque ſumma, & ineuitabilis neceſsitas, efficaciter inprimis ſuadere videntur. Si enim honeſtatem, quæ humanarum actionum omnium moderatrix, magiſtra, & ſcopus eſſę debet, in hac belli contra Turcas proſequendi ſocietate ineunda ſpectare quisq; velit: Quid obſecro honeſtati chriſtianæ magis eſſe poteſt conſentaneum, quâm pro diuini numinis ſummo contemptu vindicando, fidei oppreſsione reprimenda, religionis Orthodoxæ progreſſu amplificando, ſocijs ac fratribus, iniquiſsimæ ſeruitutis preſsis jugo, in libertatē chriſtianam aſſerendis, cōtra fædifragum, datæq; fidei deſertorem, contra capitalem chriſtiani nominis hoſtem, pia et juſtiſsima ſuſcipere arma? Quid ecōtra inhoneſtius, quàm, nulla oppreſſorum fratrum iniuria, nulla ſociorū

miseria, nulla vicinorum calamitate, cum & succurrere poſsis et debeas, humaniter nec affici nec moueri? Atqui vel ipſa immortalis gloriæ (quæ honeſtatem non ſecus ac vmbra corpus ſequitur) hominibus innata cupiditas, eò præclaras omnium cum virtute agentiũ mentes impellere potiſsimũ conſueuit, vnde patriæ, quæ noſtri ſibi ortus non poſtremam vendicat partem, vnde ſocijs, amicis, vicinis, alijsq́; neceſsitudine quapiam mutuô junctis, aliquid emolumenti obuenturum ſperatur. Atq; hinc ſanè fit, vt ea veræ gloriæ comparandæ certiſsima ſit ratio, ac via; quæ honeſtatis, & conſequenter juſtitiæ (ſine qua honeſtas ipſa conſiſtere nullo modò poteſt) ſcopum præfixũ habet. Quid verò hoc ipſo bello, quod M. Cæſ. parat, juſtius excogitari poſſet, per quod, non tantùm illatã ſubditis iniuriã; ſed Chriſto ipſi Opt. Max. irrogatam cõtumeliam inſignem, vindicãdam, ac debitam ſceleratorũ hoſtium

pœnam

pœnam expiandã fore, ſumma iuſtitiæ ratio inprimis expoſcit? Equidem, ſi à parentibus, vel amicis, aduerſa omnia, juſtè non minus, quam honeſtè populſamns: ſi illatas iiſdem contumelias, honorem noſtrum proprium concernere, & lædere juſtè arbitramur; an non multò magis chriſtianæ juſtitiæ ac honeſtatis, in eo ſummam verſari cenſebimus, quôd ad ſupremi illius cœlorum & terræ domini (cuius nutu ac munere viuimus, mouemur & ſumus, cuius denique immenſa benignitate ac prouidentia ſuſtentamur) cultum & venerationem amplificandam pertinere cùmprimis agnoſcimus? an non pro ſummi Dei gloria, quam dirus hoſtis impiis in partes haſce noſtras ſuperſtitionis ſuæ ſacris inuectis obſcurare, & penitus euertere conatur, non arma duntaxat intrepidè ſumenda, verùmetiam fortunas, ſanguinem & vitam ad vltimum ipſam libentiſsimè profundendam rebimur? an tali morte,

per

per quam immarceſcibilem in cœleſti patria, coronam æternæq́; illius vitæ ac beatitatis gaudia ſempiterna conſequi poſſumus, honeſtius aut juſtius quidquã dari putabimus? Certè, ſi fortitudo, quę à barbaris patriam bello tuetur, vel domi defendit infirmos, vel à latronib. ſocios conſeruat, plena (vt diuus inquit Ambroſius) iuſtitia eſt; vtiq; belli iſtius, contra diuini nominis oſores nefarios ſuſcipiendi, chriſtianã cõmunionem & ſocietatem ipſiſsima niti iuſtitia & honeſtate, nemo tam rudis eſt, qui non intelligit.

Innumera autem ſunt commoda, quæ ſanctam hanc animorum conſenſionem certò ſequutura, nemini chriſtiano dubiũ eſſe debet. Vt enim apud omnes etiã ſimpliciores eſt exploratiſsimum, potentiam Turcicam inſignib. latrocinijs, in ſumma Chriſtianorum Principum diſcordia hactenus auctam, ſola eorundem Principum concordia, facili negotio vin-

ci, ſuperari, & in ordinem redigi poſſe: ita, ſi nacta hac fœderis rupti occaſione, ad Turcas mutuis viribus adoriendos, omnium coëant voluntates; vincantur ab omnibus neceſſe eſt, ij, qui ſingularũ in maſculê ſibi reſiſtẽtium prouinciarum vires vniuerſas nunquam ſternere potuerunt; qui, vt nonnullis ſolius Vngariæ locis potirentur, non tantum collectam ex diuerſis orientis partibus, ſelectiſsimorum Ducum & militum Turcicorum & Scithicorum manum admouere; ſed etiam ſæpè Imperatorum ſuorum ſalutem, obſidionis per ipſos inchoatæ periculis turpiter exponere, ſæpè quoque obſidionem ſolutam, magna cum ignominia, & indignatione dimittere ſunt coacti; quos denique pro juſta iniquæ cauſæ diffidentia, nunquam niſi per ſuos bellicos magiſtratus coactos, extruſos, & compulſos aduerſus Chriſtianorum fortiſsimas phalãges, in aciem prodire ſolêre, quiuis eorum timiditatis & im-

potentiæ modicè conſcius, abundè atteſtari poteſt. Hoc porrô tàm inquieto noſtrum omnium malo, communibus auxiljs ſublato, quantam nomini chriſtiano, tot celeberrimarum prouinciarum nobiliſsimorumq; regnorum acceſsionem futuram? quantos in religionis chriſtianæ liberiore exercitio, quaſi poſtliminij jure in orientem reducendo progreſſus factum iri ſperamus? Omitto hîc ſecuram cōmerciorum libertatem: non cōmemoro tutiſſimam deinceps adeundæ terræ ſanctæ facultatē: nihil dico de fratrum noſtrorum miſerrimæ ſeruitutis iniquo jugo oppreſſorum certiſsima liberatione; quorum omnium indubia ſpes affulget, modò juſtæ iſtius vnionis exoptatiſsima ſocietas tandem ineatur, & firmiſsimè coaleſcat. Atque hæc quidem, & plura ſunt alia, belli iſtius juſtiſsimi & honeſtiſsimi commoda. Quanta verò ſit, ad hoc bellum ſuſcipiendum, ineundæ ſocietatis inter chriſtianos

Principes necessitas; vel ipsa hostis ad cædem & excidium christianorum conuersa rabies abundè testatur. Secundis rei cõtra nos gestæ successibus, mirum in modum elatus Amurathes, inexplebiliq́; christiani sanguinis æstuans siti, non solùm residuas Vngariæ reliquias, numeroso milite in Strigonien̄. territoriū ex Asia recens misso vastandas; sed etiam in oras ipsius Austrię hostili irruptione facta, aliquot oppida & villas plurimas igne & ferro depoplandas & delendas demandauit. Qui quidem funestus Asiani militis (post Tartaros per Pokutiam violenter in Vngariā irrumpētes) in partes hasce ingressus, nec nō exquisita copiarum in oriente comparandarum sollicitudo, simul & commeatus aliunde in occupata loca inuehendi cura; quid mali pro appetente Vere nobis omnibus portendant, quas ærumnas, calamitates, angustias, quam præsens denique excidium minetur, nemo est qui non peruideat

Occupato

Occupato iam & fortificato per Turcas Iaurino facilè Viennen. (quod omen Deus auertat) ciuitatem, callidus, potens, & expeditus hostis, nullo validiore intermediorum præsidiorum obstante impedimēto adorietur. Quod si eius Vrbis munitionem, conatibus suis validiorem fore judicauerit; facilè aliò diuertet: vbi si res ex iniquę mentis (quod absit) sententia cedāt; quàm tutô in statu Morauia nostra, quàm secura finitima eidem Silesia, quàm immune denique vestrum hoc regnum, à barbarico furore & dominatu foret; quàm diuturnus fæderis vobiscum initi esset apud vos status, ipsa res loquitur: & summum, in quo vnà nobiscum communiter versamini, discrimen, futurorum calamitatum speciem ad viuum repræsentat.

Si enim iniquiore quàm speramus fato, vel potius diuini numinis iustà vindicta, Amurathes, hoc æuo, Dei flagellum, residuā Vnga-

riæ partem occuparet: si Austriam depopulatus, Morauiam & Silesiam peruaderet; quæ tàm valida erit Regni istius vestri munitio, vt hostiles admittere nõ cogatur insultus, vel tantæ ipsius potentiæ resistere diutius queat? Occupauit is hactenus munitissima Vngariæ bellicosissimæ præsidia: non paucis fortissimis & quodammodo inaccessis arcibus, castris, ciuitatibus, partim per virium auctarum potentiã, partim etiam per innatæ calliditatis technas est potitus: Bizantiũ, Cyprũ, Rhodum, Famagustam, Trapesuntem, aliasq; florentissimas vrbes & Insulas, Turcarũ efferata in christianos dominandi libido superauit, ac penè oppressit: Græciamq; vniuersam subiugauit. Et quis, obsecro, tàm supinus & credulus erit, vt persuadere sibi patiatur, subiugatà per Turcas residua Vngariæ parte, vicinarumq; prouinciarũ incolis subactis; solùm hoc Poloniæ Regnum, ab insolenti victore securum, immune, ac tutum

tum fore? An, qui christiani Imperatoris Augustissimum ferre non potest nomen & maiestatem, inferioris alterius cuiuspiam quantæuis dignitati parcet? An, qui vnam totius christiani populi ceruicē fore exoptat, prostratorū Christicolarum, occasum eorum qui supererunt, internecione sociandum non putabit? An, qui fædus sanctè vtrinque ictum & firmatum, ex barbarica leuitate ac perfidia violare iam non erubuit, fidem sola dissociendarū Christiani exercitus virium intentione, ad tempus alijs datam, nacta per aliorum casum, & hos quoq; vincendi occasione seruabit? An, qui se dominum dominantium & regem regum superbissimè jactitare præsumit, quempiam Mahometanæ perfidiæ contrarium Principem aut Regem feret? An nō, vt omnem Christi Domini nostri aboleat cultum & memoriā, omnes virium potentiæque suæ intendet neruos? An dignitati cuiuspiam, an religioni, an sexui, an

ætati

ætati parcet? Non latet Serenitatem V. vosq; ordines amplissimi, quantum Turcarum in Christi sequaces odium, quàm inexplicabilis eorundē simul ac vicerint erga victos crudelitas, quàm improba dominatio; quænā nefanda in templis violandis, sacrisq; religionis nostrę impiè profanandis temeritas. Equidem fędissimus hostis, publicum christianæ fidei, in subactis sibi vrbibus & locis, exercitium nulli permittit; eiusque ad suos qualitercunq; delatum præconium vltore gladio vendicat. Mahometanæ superstitionis contemptum, vltimo supplicio & cæde contēnentis expiat: Armorum vsum penitus omnem & facultatem christianis adimit. *Pro nefariæ libidinis* cæco furore innuptarum filiarum castitatem in miserabilium matrum conspectu, turpiter violandam non verecundatur: Cōiugatarum constantem pudicitiam ante compeditorum oculos virorum fædè prosternit: filios à parentibus
dura

dura separatione auulsos, obscœnis judaicæ circumcisionis legibus impiè obstringit. Non Ducem, non Principem, non Comitem, non Baronē, non Nobilem fert vllum; sed vniuersos ab innatæ nobilitatis, atque amplitudinis christianæ claro deturbatos gradu, in agricolarum vel opificum sordidū ordinem redigit: ex quibus adeò depressis, nec id, quod sub tám diræ seruitutis immani jugo, barbarica rabies superesse patitur fortunarū, vel sibi vel liberis quisque suis tàm secure vendicare audet, quin si Tyrannicæ id pateat libidini, dicto ocyus barbaro deposcenti concedere cogatur.

Quòd si fortè bellicę expeditionis vrgens ingruat necessitas: primi apud recutitum hunc Tyrannum christiani, tormentis & machinis bellicis opponuntur: primi barbaricas acies contra occurentis hostis aduersa tela protegunt: primi in arcium & ciuitatum obsidione atq; expugnatione, assilire præsidia: primi fos-

 sarum

ſarum profunditate, cadauerum ſuorum certiſsima ſtrage explere: primi denique pericula quæuis extrema, ſuſtinere atque experiri coguntur.

Vt igitur hoc imminens ceruicibus noſtris malum auertamus; ſola concordia fraternaq́; animorū conſenſione opus eſt, Rex Sereniſs. qua inter chriſtianos firmiter ſtabilita, quemadmodum tam potens aduerſarius, per coniuncta auxilia facilè poterit ab omnibus conſociatis ſuperari; ita inualidæ ipſius potentiæ, communis opponatur chriſtianorum potentia; ne conatus nefarios, ad nomen chriſtianum penitus delendum impiè conuerſos, ſenſim prouehat, neué ea qua pollere animaduertitur celeritate omnes nos vnà opprimat, ſummopere eſt verendum.

Age igitur Rex Sereniſs. agite & vos vnà Senatores ordinesq́; inclyti: & ſiquidem nō de Auguſtiſs. ſolùmmodo Imperatoris, regnorū

prouincia-

prouinciarum; sed etiam de propria Regni huius vestri libertate, securitate, ipsaque salute æqualiter agi; nec inęquale, sed idem planè periculum, vobisipsis, patriæ, coniugibus, liberis, fortunisq; vestris imminere luculenter agnoscatis: hanc ineundi contra imminentem barbarum prælij societatem atq; ineuitabilem necessitatem beneuolis, alacribus, promptis, & incunctantibus animis complectimini: & quantò maius periculum est in morá, tantò celerius contra pernicissimum Christiani nominis hostem, Augustissimo Imperatori, afflictęq; Vngariæ, auxiliatrices afferre manus, ne dubitate. Cõtermina vobis, iniustè per fædifragum Amurathem moto bello, infestatur ac ardet Vngaria: vicinus flagrat paries: vicinorum ergo, vestrum quoq; ni inuigiletis, est malum. Vestra æque hîc res agitur: de vestro periculo auertendo consultatur: vicinorum calamitas & præsens afflictio, futuræ quoq; vestræ cala-

 mitatis

mitatis & afflictionis certissimum est argumentum, & proximum quasi ad futuræ tragœdiæ scænam præludium. Pro eo ac vicinorum salus, vestra etiam est tranquillitas & salus. Tanquam validissimo quodam muro, vestrũ hoc latepatens regnum, finitimę Vngariæ residuis præsidijs, aliorumq́; M. C. subiectorũ regnorum & prouinciarum, securitate munitur. Si itaq́; vobis vestra & patriæ chara est salus, ad defendendos hosce muros impigri accurite: neue per assilientis inimici potentiã, concussi, vel omnino demoliti, ad inuadendos penates vestros, imbellemq́; fœminarum & lactentiũ infantulorum domi latentem turbam, obtruncandam & abripiendam, ad ditissima templa expilanda, ad fortunas deniq; vestras occupandas, facilem patefaciant aditum. Imperatorem, non minus de vestra vti amicorum & vicinorum, quàm sua vicinorumq́; suorum salute anxium & solicitũ, maturis auxilijs et subsidijs

ſidijs iuuate. Præſtat equidem alienis in oris graſſantem adoriri Tyrannum, quàm poſthabita vicinorum ſociorumq́; defenſione, tam diu expectare; donec ille Martis feliciori adiutus euentu, fines veſtros hoſtiliter vt ſolet inuadat. Si quæ enim foris obuenit calamitas, facilè emendari poteſt; at quæ domi eueniunt clades, raro non exitiales habentur.

Sic olim Romani orbis domini, foris potiùs quàm domi, vt plurimùm, non abs re pugnandum duxerunt. Sic fortiſsimum Hannibalem, Pœnorum ducem: Antiocho, Syriæ Tyranno aduerſus Romanos bellum ſuadentem, non in Aſia, ſed in Italia bellandum cenſuiſſe ferunt. Sic dum plerique chriſtianorum Principum, ante actis ſeculis, vicinorũ ſuccurrere contempſerunt periculis, ſua ſibi vltro pericula accerſiuêre: Sic Græcia Turcis, ſic opulentiſsimum Vngariæ regnum, verè aureũ olim pomum, maiore ſui parte, non opitulan-

tibus vicinorum Principum auxilijs, recutito huic Paridi, infernalis (vt opinor) Plutonis judicio miserê cessit.

In tantis proinde periculis, accingimini viri bellatores, auitæ fortitudinis & nobilitatis gloria præstantes: accingimini, & arma justissima contra icti fœderis violatorem ac præuaricatorem temerariū; contra Christi Dei nostri contemptorē nefarium; cōtra Christiani nominis osorem teterrimum; contra cōmunem deniq; totius christianitatis hostem, pro solita vestra in Deum pietate, pro patrię vestræ futura securitate, pro sociorum, amicorum, vicinorumq; vestrorum incolumitate, & salute, tanquàm amici pro amicis, vicini pro vicinis, socij pro socijs, christiani pro christianis assumite.

Non deest vobis innatus, ad res domi forisque præclarè gerendas animorum vigor: non desunt vires, non facultates; non desit itaque

debita erga vnius omnium matris ecclesiæ editos aluo fratres charitas; non desit vicinorum sociorumque calamitatis iusta commiseratio. Æqualia sunt vobis cum Turcis arma, at longè est superior & confidentior ingenitæ nobilitatis non immemor vester animus; qui præclaris maiorum vestigijs insistens, pro Dei cultu ac fide christiana, strenuè pugnandum, nec vitæ ipsi parcendum meritò suadet; perq; honestissimæ hæc christianæ virtutis exercitia, ad immortalem gloriam, ad ipsam denique patriam cœlestem rectum vobis sternit iter, certissimamque præparat viam.

Si Augustissimo Imperatori, alijsq; Principibus Christianis coniuncti viceritis, si insolentissimum hostem profligaueritis, si Reipub. Christianæ in tantis versanti periculis opitulatrices attuleritis manus; quantam laudis accessionem vestro nomini futuram fore; tantam quoq; calamitatem, si per vos nō adiuti deser-

tique (quod nemo ſperatq́) ſocij & vicini ſuperarentur vel ſuperarent, vobis etiam obuenturam eſſe certò expectare & ſperare poteſtis.

Sed quemadmodum M. Cæſ. de veſtra in Deum pietate, erga rem Chriſtianam propẽſitate, nec non erga vicinos charitate, non niſi optabilia quæque indubiè ſibi pollicetur: ita Deus Opt. Max. cuius potiſsimũ cauſa in bello hoc agitur, nobis vnà & vobis aderit benignißimè: Suamq́ue ipſe iniuriam, & contemptum per vos, vti antiquos Domus Dei, et chriſtianæ fidei zeloſos vindices, proſtratis ac fuſis immaniſsimis hoſtibus, juſtè vlciſcetur; & in ſeruis ſuis, magnam, cum aduerſariorum confuſione, faciens virtutem exaltabitur. Non deerunt quoque aliunde ſubmiſſa chriſtianorum regum & Principũ ſubſidia: nõ deerunt poſtmodũ & vobis, ſi neceſsitas poſtulauerit, ſocialia eorundem auxilia. Hæc enim S. D. N. Clemens viij. Pontifex Max. hæc potẽtiſs.

Rex

Rex Hispaniarum Philippus: hæc opulentissimi Italiæ Duces & Principes: hæc Potentissimi Sacri Romani Imperij Principes vniuersi, necnon liberæ eiusdem Imperij ciuitates: hæc incomparabilis virtutis heros, Transiluaniæ Princeps: hæc denique Magnus Dux Moscouiæ, & alij plures, vltrò ad tàm necessarium bellum offerunt, atque amicè pollicentur. Sacra verò Maiestas Cæsarea, neque se neque suos quos habuerit fœderis socios vllam cum hoste pacem aut inducias, vobis inscijs, inconsultis, aut exclusis facturos; neq; vos, si maior vis hostilis Poloniæ ingruat deserturos: sed tanquã res ipsorum propria agatur, omni vobis ope præstò adfuturos esse promittit, nosq; ad id solenniter stipulandum nomine M. Cęs. ampliss. in promptu mandatum habemus.

Quorum omnium studia, quantò sunt ad sanctam hanc auxiliorum communionem promptoria, tantò vos quoque vti viciniores &

ORATIO.

veteris amicitiæ, nouæq́ue affinitatis ac confœderationis vinculo connexos, demum & fraterna ipsius Christianæ fidei tessera consociatos, ad id, quod M. Cæs. per me Collegamq́ue meum, à vobis justissimè petit, & requirit, propensiores, alacriores, & animosiores esse decet, summeq́ue id vnicum expedit vobis ipsis.

DANTISCI.

In Officina Iacobi Rhodi,

M. D. XCV.